

Od  
2497

Z  
M.C.

Od 2497  
8<sup>o</sup>

E. XXVI 295 b. mediu

[Riccius Christophorus]

ELISEO AVRIMONTANO

salutem

Hodie vobis traditur, eas non nisi oculis pariter  
 te habere pertempere, id de te ex vero dicit posse  
 distola tuis castis est; te sic, cum locum Paris igno-  
 dilem & noxam voluisse cum exitu Martis prodi-  
 re, dux postea evadit, hic cum ad hunc inter-  
 tum dicitur, tunc scilicet  
**CONSTANTIS SINCERI**  
**SPONGIA**  
 In

ELISEI AVRIMONTANI

Epistolam

Contra DANTISCANOS

nuper editam

...

...

...

Anno exeunte M. DC. XXXIX.

[f. Rhodet]



# ELISEO AURIMONTANO

## Salutem,

**Q**uod de Viperis traditur, eas non nisi occisà parente latera perrumpere, id de te ex vero dici posse Epistola tua testis est; te sc. ceu foetum Patriæ ignobilem & noxium voluisse cum exitio Matris prodire, quæ postquam salva evasit, tu nihilominus adhuc interitum eidem moliris. Quod quidem infelici ejus fato accidit, quæ multos tales ang vipedes in lucem protulit, & in sinu suo fovit, à quo tamen viperino hominum genere, cum necem ferat, Patria mea sibi imposterum cavebit, illud vetus animo revolvens:

**Malus bonum ubi se simulat, tunc est pessimus.**  
Amorem Patriæ quidem præ te ferre videris, sed odio ejus internecivo dirumperis. Ubiq; sub mellitis verborum globulis, sub dictis quasi papavere & sesamo sparsis mortiferi latent ictus serpentini; sed & ubiq; tibi liber parafragædiare & verborum ampullas projicere, quod Sophistarum est, non veritatis amantium.

Initio pro pietate tuâ superbiam & arrogantiam, deinde luxum & impietatem Patriæ tuæ objicis, sed falsò. Superbiam enim & insolentiam alibi magis invenias, apud eos quoque, quibus res angusta domi est, quàm heic apud nos, ubi pleriq; imprimis ex primoribus, licet opibus abundant, & Nobilitate suâ gaudeant, satis tamen moderatè, satis humaniter se gerunt. Et in Comitibus proximè lapsis quàm submissè, quàm humiliter Nostri se gesserint, & ad thronum S. R. Majest. tanquam tutissimum innocentiae suæ præsidium denuò confugerint, testantur abundè supplices eorum libelli & Crationes ibidem habitæ; nisi tu superbiæ propterea eos arguas, quòd Libertatis, Jurium & Privilegiorum suorum, quæ virtute & sanguine sibi parta legitimè possident, & vitâ ipsâ chariora habent, sint ob-

servan-

servatissimi. Gerræ verò sunt germanæ, quæ addis de *Urbe Domina*. & quòd *Civitas hac potentia Regum, ipsiq; elemento Maris limites defanire videatur*. Venetorum hoc Reipublicæ convenit, quæ quotannis Ascensionis festo per Ducem suum jacto anulo aureo in mare, eodem in signum Imperii mare Hadriaticum sibi desponsat. Nobis tantà non sumimus, hoc enim esset *imponere Pelion Ossa, atq; Ossa frondosum involvere Olympum*, quam amentiam execramur. Nos regiâ & tutissimâ inceditur via. Quantoperè etiam à luxu Magistratus Civitatis hujus abhorreat, id Edicta de coërcendo eo tam in vestitu, quàm conviviis, antehac saluberrimè promulgata satis evincunt. Sed fieri interim nequit, ut in Civitate maritimâ, in tantâ diversæ Nationis hominum confluge non quandoque eâ in re peccetur; *sapius coërceri tam profusa cupidines nequeunt, sapius coërcitio plus damni fert*, prout de eo graviter Tiberius in literis suis ad Senatum differit. Impius verò es in Patriam, dum impietatem ei objectas, à quâ tam longè abest, quàm tu a vero. Scias Civitatem hanc pietatis esse Scholam & Officinam; ad Coëtus nostros frequentes, videbis nos ad *DEUM* (Tertulliani verba agnoscis) *quasi manufacta precationibus ambire orantes. Hac vis Deo grata est. Oramus pro Regibus, pro ministris eorum, pro potestatibus pro statu seculi, pro rerum quiete. Fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam preceptorum nihilominus inculcationibus densamus; ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina*. Heic populus ad pietatem erga *DEUM* Opt. Max. cæterasq; virtutes pietatis comites individuas diligenter informatur, & avertitur à Numinis contemptu, cæterisq; affectibus à præscripto rectæ rationis exorbitantibus. Scias etiam Civitatem hanc miserorum & exulum esse Asylum ac refugium. Quot innumeri ex vicinâ nostrâ afflictissimâ *GERMANIA*, quæ bello civili funestissimo jam ultra duas annorum decades immane quantum conquassatur, profugi, exules, & à Lare suo extorres ad hanc Civitatem, quasi ad *ARAM MISERICORDIÆ* confugiunt? quot inopes &

egenti quotidie Ostia nostra pulsant? quos ope & auxilio juvamus hilariter, quibus succurrimus, sumptusq; & Eleemosynas libenter suppeditamus; qui vicissim precibus suis Divinum Numen pro salute & incolumitate nostrâ, ut nobis beneficit, sollicitare non desinunt. *Hæc precatæ nostræ quasi deposita sunt;* his alis nixi, non tuis illis Dædaleis, ad felicitatem quâ temporalem, quâ æternam subvehimur.

Hac itaque tricipiti vitiorum basi eversa, totum tuum ædificium corruat necesse est. Corruunt ea, quæ de impendentibus nobis factis vaticinariis, eaque non tuis, sed verbis & versibus Popularis tui *Johannis Dantisii Culmensis olim & Varmiensis Episcopi,* (cui laudes non modio, neq; trimodio, sed toto horreo admetiris; atq; eo ipso DANTISCANOS adoræ vel invitus afficis) sed versibus truncatis, luxatis, interpolatis, mægonizatis; quippe illud genuinum XI. tantum distichis constans nuper Popularis noster longè te melior in eleganti sua Responsoria exhibuit, tuumq; fucum detexit, ut jam non vaticinium Johannis Dantisii Episcopi, sed nugamentum Jesuitæ esse deprehendatur. Dum verò personam JONÆ mutuaris, eo ipso vaticinium istud das esse conditionatum: ni sc. Civitas resipiscat, vel (ut tu modularis) *si non peccata relinquat;* quâ conditione secutâ illud fore irritum, & Civitatem hanc alteram fore Niniven illam magnam, quæ in sacco & cinere poenitentiam sit actura, & tunc Jonam istum miserum frustrâ & injustè indignaturum, & cucurbitas suas picturum, evidenter demonstras. Ubi nunc es Montane? in Ætna; circumspice non arma, sed aquam.

Scitum verò est illud lemma, quo te veteranum prodis, quippe jam ante annos propemodum XL. aut amplius in istâ cavillandi & calumniandi palæstrâ exercitatum. Sed totum cavillationis negotium vertitur in binis istis oculis: LIBERA & SUBDITA. Et libera, & subdita Civitas hæc est, diverso & sano respectu. Subdita est, non enim tantum Patrocinium, sed & Dominium & Regimen Serenissim. Poloniae Regum  
humi.

humiliter agnoscit, & exinde ipsius dependet dignitas; quemadmodum liberę in J. R. Civitates fastigium & Dominiũ Cæsareæ M. ultrò agnoscunt. Libera est, quatenus Juribus, immunitatibus, & privilegiis amplissimis à Regibus Serenissim. indultis gaudet; quemadmodum liberę Imperii Civitates dicuntur, quòd ab Imperio regalia Jura & Immunitates concessas possideant, quibus quòd hanc Civitatem inclytam non æqualem, sed conditione deteriore æstimas, in eo gravissimè hallucinaris. In I. R. Civitates alię sunt Imperiales, alię Provinciales; quarum illę LIBERÆ, quòd immediatè Imperio; hæ SUBDITÆ & Municipales, quòd Eidem mediatè (sc. Principibus Comitibus, Baronibus & aliis, feudi titulo concessæ) subsint, indigitantur. Illę in matriculam Imperii Anno 1521. confectam relatę inter Status referuntur, & ad Conventus publicos vocantur, ibiq; sessionem habent & votum. Eadem præter Juris Comitiorum communicationem regalia, ut eundem monetæ, vectigalium, Jurisdictionis, Magistratus constitutionis, & alia Jura ab Imperio obtinent, nec nisi in Camera conveniri possunt. Non ergò liberę istę Civitates sunt Respublicę, quę Jura illa Majestatis sublimia habent; neque ex illarum numero censendę, de quibus Proculus agit, quę Majestatem alterius comiter conservant; hæ enim, licet alter in fœdere sit superior, absolutè liberę intelliguntur; sed quę, ut subditę quidem, salvis Privilegiis, quibus ab Imperatoribus donatę sunt, Imperium Cæsaris in omnibus agnoscunt, Eiusdemq; legibus & Jurisdictioni tam pacis quàm belli tempore parere coguntur; nihilominus ut Status cum Electorum & Principum Ordinibus Imperium Politicum constituunt, & extra Pacta conventa placidè suã libertate fruuntur. Sic in Regno hoc Polonię amplissimo, in quo omnia communicato cum Senatoribus consilio peraguntur, Terra Prussię, & cum eã Civitates Majores Juribus, Privilegiis & Libertate suã gaudent. Imprimis Civitas DAN-

TISCUM tot præclaris *sincerae fidei, promptissimorumq; servitorum,*  
*egregie in bellorum periculis, constanti virtute immensisq; sumptibus*  
*pro honore & utilitate Regiâ ad recuperandas Prussiae Terras præsti-*  
*torum Elogiis à Serenissimo Rege Casimiro æternâ memoriâ*  
*digno decorata est, tot & tantis Privilegiorum & immunita-*  
*tum accessionibus ornata, ut liberis Imperii Germanici Civi-*  
*tatibus hâc parte palmam præcipiat. Hæc ut Prussiae, ita etiam*  
*totius Reipublicæ inclytæ nobilissimum membrum est; hæc*  
*etiam arctissimâ Incorporatione Regno sic unita est, ut ad*  
*usum & participationem (sic verba Privilegii Casimiriani ha-*  
*bent) omnium honorum, Jurium, libertatum & prærogativarum,*  
*quibus Prelati, Barones & Nobiles Regni Polonia hæctenus potiti*  
*sunt, & signanter ad futurorum Regum Polonia, quotiescunq; super*  
*electione & coronatione illorum fieri deliberationem contingat, ele-*  
*ctionem & coronationem admittatur, annectatur, & includatur;*  
*& omnes cause notabiles Terras Prussiae concernentes à R. Majestate*  
*cum communi Consiliariorum spiritualium & secularium, Nobilium*  
*& Civitatum majorum Terrarum prædictarum consilio terminari,*  
*tractari, & definiri debeant. Præter hæc immunitates te-*  
*loniorum in aquis & terrâ, quin & alia Jura & regalia,*  
*ut monetæ cudendæ, Jurisdictionis, Officiorum & Officialium*  
*constitutionis, clientelarum distributionis, maritimæ admi-*  
*nistrationis, Jus suffragii, Jura Portorii, Jura territorii & id*  
*genus illustria possidet, & quoad forum, Curiam sequitur Re-*  
*giam; ut paucis dicam, Civitas nostra, Crucigerorum jam*  
*tempore Libertate Hanseaticâ gaudens, se cum Terris Prus-*  
*siae Regi Regnoq; Poloniae voluntariè & spontaneè de-*  
*didit & subjecit **JURIBUS SUIS SEMPER SAL-***  
***VIS.***

Quâ verò fronte & contra historię veritatem, & contra ipsa verba Regia asserere audes, Prussiam & cum illâ Civitatem hanc *Subditorum nomen multis legationibus, magnis precibus, atq; etiam lachrymis à Polonia diu tergi versante Rege emisse, cum Rex longe*



longè Optimus CASIMIRUS in istâ Terrarum Prussiæ spontaneâ deditioe Anno 1454. factâ *Divina voluntatis gratiam, quæ hereditatem suam occupatione illicitâ solvendam, Sibiq; reddendam piâ miseratione censuit, gratus agnoscat; Et in Privilegio Civitati Anno sequenti Petricovię datò disertè profiteatur, quòd, cum Civitas DANTISCVM bonis suis exhaustis, & sanguine multo effuso deperditam Prussia Terram Regno Polonia redintegravit & re-unierit, S. R. Majest. ea merita nullâ pecunia vel bonorum æstimatione, sed solâ Regiâ gratiâ & Clementiâ compensare & remunerari valeat.* Hoccinè est à Rege diu tergiversante Subditorum nomen multis precibus & lachrymis emendicare? Sed animus tuus præ amore in Patriam æger est, ægri somnia venditas. Tunè etiam cum quibusdam malevolis quærere audes, justæ causæ fuerint, ob quas Crucigerorum jugum sit excussum? Hæc Oratio in Republicâ Polonâ, ut noxia, pernitiôsa, hostilis, ipsum Reipub. Statum & Jus Regium convellens, ferenda non est, ubi certum, fixum, & indubitatum est, Crucigerorum tyrannicum in subditos fuisse jugum; illos violentos & injustos (verba sunt D. CASIMIRI Regis laudatissimi in Privilegio Incorporationis) *Dominos Jura, Privilegia atq; immunitates Terrarum Prussia pro libitu fregisse, scelus & nefas egisse, semper fragili & fluxâ erga Reges Polonia fide fuisse, nec unquam illis voluntatem Reges & Regnum Polonia laceßendi, sed facultatem defuisse &c.* Et (ut habent verba sponsonis reciproçæ) Superbum, avarum, & injustum Magistri & Ordinis fuisse dominium, attestantibus id ipsum Historicis, Profectò talia quærere & disputare, & divinis obviare beneficiis, sacrilegii instar esse Imperatores rescripserunt.

De excidiis magnarum Civitatum quæ cumulas, ea utique non diffitemur, quippe nihil quidquam in humanis est stabile, cum multas formas (ut ait Justinianus) edere natura novas deproperet. Constat æternâ positumq; lege est, ut constet genitum nihil; de quâ re existat egregius locus apud Ovidium.

Sic mo-

— — — — — Sic omnia Verti  
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,  
Concidere has. &c.

Quem imitatus Nobilissimus Douza elegantissimè sic cecinit:  
*Rebus omnibus vicissitudo debita; hæc mori vides repente, at illa  
orivier. Necessitati ut observare, te movent tot Urbium cadavera,  
ferire visa verticè antè qua suo Poli utriusque cardinem. Vbi illa  
jam, imperare suèta Regibus, superba Septimontium? ubi Mycenæ?  
ubi inclyta Vrbs Agenoris, Corinthus, Argos, Ilium? minuta, ma-  
gna; summa, & ima respice; perenne sub Polo nihil.* Sed de fa-  
tali Rerumpubl. periodo cum differunt Politici, plerunque  
iis 10 annos plus minus, quibusdam etiam 1000 annorum  
curriculum attribuunt. Quidquid verò sit, omne id incer-  
tum & divinatorium esse judico, cum ut quantitatis, ita  
etiam numerorum per se nulla sit vis, nulla efficacia; & ideo  
Aristoteles numeros Platonicos, ut causas mutationis Rei-  
publicæ rectissimè improbat. Et certum est, pleraque Im-  
peria vel non attigisse hanc annorum periodum, vel longè  
superasse. Quibus verò ostentis, seq̄ invertentibus signis ( ut  
loqueris ) invertendam nostram quoque fortunam nonnulli ( &  
hi erunt indubiè Populares tui similes ) augurentur, te nescire  
ipsemet fateris; ergò malum falsus Vates secum auferat omen.  
Illud planè frivolum est, quòd nos externarum gentium auxiliis  
intumescente nugaris, qui, quam infida illa & ficulnea sint, pro-  
bè scimus. Ipse Teutonicus Ordo, qui à Poloniæ Regibus  
contra infidelium Prussorum violentias ad auxilia quondam  
in has Prussiæ Terras evocatus, totam postea Regionem vi  
occupavit, suoq; dominatui adjecit, satis documento nobis  
esse potest. Sed & tu scias illic Trojam esse, ubi est Helena;  
multi proci hanc Penelopem ambiunt; itaque Senecæ Tra-  
gici monitu: *Non expedit concutere felicem statum; ut nil læ-  
cessas, ipsa se fata explicant.* Saltacitum etiam tangis; at cur  
tibi Saltacitus est? an in oculis salit? an oculos tuos lividos,  
vel potius ( cum longe absis ) animum male sanum ferit &  
lædit?

lædit? ad cuius splendorem mens tua; velut oculus ad Solis obtutum, caligat. Huic Viro strenuo fidei & peritiæ militaris laudem sibi gloriosè acquisitam Tu nunquam detrahes, neq; hilum argentiæ hastæ; apud Virum antiquæ fidei proficient. Et idè non cum Papis, Entragiis, vel Campobachiis, sublestæ fidei hominibus, sed cum Papiriis, Ariovistis, Arminis, Aëtiis, & Bellisariis ob Virtutis meritum comparandus venit, Vir omni laude dignus, omni invidiâ major.

Porro Nos, quòd eorum, quorum est condere, etiam Jura sit interpretari, diligenter pensitare jubes. Agnosco hâc de re clara Impp. verba, quòd & LL. condere & easdem interpretari solo dignum Imperio esse oporteat, & quòd solus Imperator tam conditor quàm interpres L. L. justè existimetur, ex cuius auctoritate Augusta omne obscurum patefieri, duritiâq; LL. Humanitati suæ incongrua emendari debeat. Adde his, quod majus est, Principem etiam L. L. non subjici, non obligari, sed iis solum esse. At contra tu quoque pensitare debes illud, quod Justinianus ait: *Principem esse legem animatam & vivam*; & quod Aristoteles scribit, *Principem Civibus omnibus virtute antecellere*. Hæc excellentia liberat Principem ab obligatione LL. quibus licet solutus sit, iisdem tamen vivit, ut Divi Severus & Antoninus teste Justiniano rescripserunt, quibus verbis & Jus sive dignitas Principis, & ejusdem officium optimè conjunguntur. En oraculum Impp. Theodosii & Valentiniani: *Digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem fateri* &c. Scilicet Imperii finis est, omnia ad bonum publicum & subditorum commodum dirigere, & hoc agere, ut subditi boni efficiantur, quod hõc unico expeditissimè consequetur, si subditos ad parendum L. L. Exemplo suo invitet. De Vespasiano Tacitus: *Emulandi amor validior, quàm pœna ex LL. aut metu*. Plinius Secundus: *Vita Principis censura est, eaq; perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo*. Præterea maxima Principum & præcipua laus & Virtus est, ut in subditos suos propen-


propenso ac liberali sint animo. Unde Ptolemæus Ægypti R. dictus est *Evergetes h. e. beneficus*; Philippus Macedo, *amicus, benefactor, Servator* appellatus est. Inde Titi Imperatoris vox memorabilis, meritoq; laudata: *Amici hodie diem perdidis quòd nihil beneficii cuiquam toto die præstitisset.* Quam auream voem imirati sunt Impp. Theodosius & Valentinianus, cum Novellam suam de patrimonialibus rei dominicæ ita inchoarunt: *Propè est, ut beneficium accepisse credamus, quotiens offertur nobis causa præstandi, & diem periisse procul dubio suspicemur, quem nostri Numinis munificentia non illustrat.* Et alius Principibus id cognominis tribui disertè D. Lucas in Evangelio testatur: *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, Evergetæ vocantur.* Horum itaq; Evergetarum est interpretari Jura, à quorum divinâ indulgentiâ nil nisi justum & æquum, nil nisi beneficium proficisci potest. Hæc Principum verò beneficia quàm plenissime esse interpretanda docet Javolenus, & sunt Innocentii III. Pontificis hæc de re notabilia verba, quòd in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis autem plenissima sit adhibenda interpretatio. Præter hæc pensitare te jubeo, multa Jura & Privilegia per modum contractûs concedi, unde *pacta, tractatus, conventiones, transactiones* indigentur, in quibus Princeps vigore contractûs obligatur; multa etiam Jura, inprimis illa singularia (quibus salvis Provincia se certo Regimini subjecit) vim habere legum fundamentalium, in quas Princeps initio Imperii sui jurat; multa quoque Privilegia ob benè merita & in compensationem fidelium officiorum indulta esse, quæ etiam vim pacti & mutæ obligationis habent. Imò in genere attendere te velim, Privilegia semel concessa plenissimam habere firmitatem, & actus Principis ex se ob illius dignitatem & eminentiam esse firmos & validos, prout Impp. prædicti clarè sanciverunt, quibus adstipulatur Justinianus, cujus notatu digna hæc sunt verba: *Vt Imperialis fortuna supereminet alias, ita oportet & principales liberalitates culmen habere præcipuum.*

puum. Addo, quòd cùm Privilegia clara & certà sint, interpretatione anxia non indigeant, sed literalis sensus, qui per se pateat, sit sequendus; quem dùm tu rejicis, & nos hortaris, *ne nimium literarum apicibus inhereamus*, eo ipso, *ut convellamus Privilegia, & immunitates nostras perturbemus*, nos impellis. Quòd si verò, te auctore, Privilegia Communitatibus data, clara & indubia, ipsoq; longissimi temporis usu confirmata, contra mentem primorum dantium & accipientium inflectere liceret; omnia hoc pacto Privilegia invertere & evertere facillimum esset, & cuncta exæstantis more Euripi sursum ac deorsum jactarentur. Sed novimus, Jesuitarum esse æquivocationibus ludere, quorum ex dictamine si interpretatio Jurium nostrorum dependeret, jam dudum de nobis actum, jam dudum funus Libertati nostræ aureæ indictum esset. Sed ut modus sit Epistolæ, Te tandem, Aurimontane, etiam atque etiam obtestor, ut perversum tuum judicium, imò hostile erga Patriam odium, quo in devia abriperis, ad aram pietatis deponas, & Themistoclis exemplo potius ipsemet perire, quàm Patriam velis. Si Elyseus es, cur venena vomis? Si Aurimontanus, cur ferrum promis? Dolendum est maximè, Civitatem hanc innoxiam malevolorum & invidorū obrectationibus premi, quæ tot constantiæ & fidei inconcussæ documenta quovis tempore, in primis nuperimo bello Svecico edidit illustria, etiam cum jacturâ bonorum & facultatum suarum gravissimâ & ferè inæstimabili. Quàm deinde fuit pacis cupida! quæ ut reduceretur, etiam fidem suam, pactis illis nuperis Regnorum Poloniæ & Sveciæ, speciali cautione interposuit. Quàm ingenti tandem pecuniæ summa S. R. Majest. Domini suo Clementissimo gratitudinem ob recentia victoriarum & pacis procuratæ merita demonstrârît, ipsa S. R. Majest. satis testata est, dùm *ob insignem fidei constantiam, & meritorum universa Reipublica præstitorum gratam recordationem novâ vectigalium exactione supersedendum, & Jura & Privilegia libertatesq; ejus, tum & pacta portorii con-*  
seryan-

servanda & confirmanda duxit. Itaque cum immortales sint  
 Gratiarum horti, speramus gratam semper fidei & meritorum  
 nostrorum fore memoriam, speramus (quidquid Inimici no-  
 stri fatagant, qui & recentem illam gratitudinem; & inpri-  
 mis contributiones illas Civicas, legitime & pacifice ex Pri-  
 vilegio ipsa antiquitate inviolabili, non ab extraneis, sed à  
 Civibus exactas, acerbissime sugillant) benigniorem Regiæ  
 gratiæ auram, quæ refocillati, ad perpetua benè merendi  
 obsequia & studia ipso facto alacriores reddemur, neque  
 ulli subditorum fide ante DANTISCANOS erunt; hostes  
 verò Patriæ, qui nunc venalem & maledicam in nos rabi-  
 osè exercent linguam, malum, quod nobis parârunt, suo  
 sibi jumento accersent, & in pedicas, quas Patriæ struxe-  
 runt, ipsimet non sine sui ignominia ruent. Interim Ti-

bi, tuique similibus Popularibus cum auspicio novi  
 anni bonam mentem apprecor.

Vale.



judicium, imò hostis cras, in odium, duo in deva drit-  
 ptes adiam pietatis hanc & T. hinc hinc exempli po-  
 tus ipse in hunc modum, & T. hinc hinc exempli po-  
 venia vobis, & T. hinc hinc exempli po-  
 lectione est maxime, & T. hinc hinc exempli po-  
 & invidiosè obest, & T. hinc hinc exempli po-  
 dei inconcussa documenta, & T. hinc hinc exempli po-  
 rimo bello sævico eandem illam cum facta bono-  
 rum & facultatum suarum gravissimè & ferè insimulabil-  
 Quam deinde sine pacis cupiditate, que in technetur, etiam  
 fidem suam pacis hinc nuptiarum egorum Poloniarum & sævici  
 speciall' exultatione interpo. Quam ingenii tandem peccatis  
 tumus S. R. Majest. Dominus in Clementissimo gratitudi-  
 nem ob recentia & pacis procurator merita de-  
 monstrat, ipsa S. R. Majest. hinc hinc exempli po-  
 hinc hinc exempli po-  
 hinc hinc exempli po-  
 hinc hinc exempli po-  
 hinc hinc exempli po-

Z

LIBRERIA  
L. BIBLIO